



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv**

**More, Henry**

**Avdomari, 1660**

Catholocorum par vexatio. n. 21.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38320**

& familiarissimè cum Patre *Guilielmo VVestono* de quo alias erit sermo. Anno nonagesimo septimo rursus Londinum ad Arcem, tum ad Computorium intra urbem, deinde ad album Leonem, ad Portam domus apud *Westmonasterium*, & *Fletam*, denique *Framingamiam* apud *Icenos*, ad tempora vique *Iacobi Regis*; qui cum Sacerdotes amandasset in exilium, huic concessit libertatem datis Iponsoribus. Itaque posteaquam vndecim præcipuos carceres suis vinculis celebrasset, in paterna domo decessit, Anno sæculi decimi sexti quinto decimo, cum ætatis annos numeraret 76. Is qui ab eogesta collegit *Stephanus* affirmat septem annis fuisse in Arce Londinensi, quatuor in *Mariscalli sede*, sexquannum egisse in castro *Storfordiensi*, decem in *Wisbicensi*, tres *Framingamiæ*; reliquos ad vsque trigessimum, sparsim in aliis locis qui sunt commemorati.

XXI. Neque is solus vnquam, aut quæsitâ semper nouâ causâ infestabatur: Catholicorum par erat causa & vexatio. Licet enim hic fortassis zelo profitendæ fidei ardentior cæteris promptiorque videri potuit ad proferendam sententiam (ex quo euenit aliquando vt hærente Sacerdote coram Iudicibus in ea quæstione, censendusne esset in Ecclesiasticis supremam per Angliam potestatem obtinere Pontifex, an Regina? & in diuerticula se implicante, palam *Pondus* adclamarer, dic, Pontifex, Cui enim potius id iuris competat?) Omnium tamen ordinum rationes tam erant cum Catholicorum ruina coniunctæ, vt quique in suo foro omnem operam omnemque curam admouerent hæresi corroborandæ, Orthodoxæ fidei (si quo modo possent) extirpandæ. Ij qui Reginæ erant a consilijs, quam viuendi libertatem adamarant, eandem sequi decernentes, ne si aut numero auerentur Catholici aut facultatibus, domi mouerent aliquid, aut foris machinarentur, aut suâ ipsorum multitudine & pietate notam impiæ nouitati inurerent, quâ vi, quâ astu, quâ famæ iniurijs suppressendos & arbitrabantur & curabant. Qui in Episcoporum & Cleri totius inuolauerant dignitatem & opes, susceptam semel à Regibus in Ipiritualia potestatem pertinaciter sustinebant, vt auctoritatem ipsi suam, nullo sacro ordine celebrem, Imperio quamquam faminae tuerentur; Tum scriptis mendacibus, & sacrorum Codicum Patrumque sententijs in alienum sensum peruersè detortis, cum suam sectam conarentur defendere, si quid docti Sacerdotes falsitati redarguendæ scripto reponerent, primùm turbandarum rerum studio factum infamare, tum omnes Catholicorum familias conquirendorum suppressendorumque huiusmodi argumenti librorum ardore euertere; apud quos reperti essent carceribus tradere, ingenti pecuniâ mulctare, libros cum scientiâ non possent, igni, tanquam perduellionis reos, abolere: Denique callidi reipublicæ moderatores, non minus foris per exploratores quàm domi vigiles, si quid externi Principes suorum negotiorum causâ mouerent, si militem in finibus collocarent, si conscriberent, si de pace cum vicinis decernerent, id omne à recto cursu auersum ad rerum suarum interturbationem pertinere comminiscabantur;

Catholicorum par  
causa & vexatio.



1575. & confestim tum Sacerdotibus, tum reliquis Catholicis, copiosis præsertim tanquam conspirantibus imminebant: Qui Londino longius habitabant vel trahebantur in urbem custodiis includendi, vel edicto iubebantur à suis ædibus non ultra milia passuum quinque secedere, nisi in scriptis concessâ ab eius regionis in qua morabantur Iudicibus licentiâ, Quorum temporum meminit *Personius* in sua ad Rectorem de vrbe Epistola. "Persecutionis æstus vehementissimus est, & qualis à constitutione Angliæ non fuit: Trahuntur vndique in carceres, nobiles, ignobiles, viri, famina, ipsi etiam pueri; vinciantur catenis ferreis, spoliantur bonis, priuantur lumine, & publicis tam edictis quàm sermonibus concionibusque infamantur apud vulgus proditorum & rebellium nomine. ) Et infra. "Nobiles carceribus inclusi his superioribus mensibus multi sunt, illustres, diuites, & suis quique in locis præpotentes: Ita vt noti solum veteres carceres Angliæ, verùm & multi iam noui Catholicis recipiendis non sufficiant: Et tamen Inquisitores mittuntur ad alios quærendos; eorum verò numerus per Dei gratiam sic increfcit quotidie, vt ipsi prope fatigentur. ) Et publicæ quidem rei commodo ista fieri apud indoctum vulgus prætendebatur, intus autem Religio petebatur: Nam huius recenter eueictæ concilij, & virium veritatis non ignari, quæ se ipsa erigit ostenditque nisi continuatis nubibus offuscetur, luarum etiam rerum priuatim prouidi, alas Catholicis præcidendas rati, rem familiarem assiduis vexationibus interturbabant, vt nè, sicuperent, se possent erigere; quod & *Carolo*, Regum intelligentissimo, fuit semper propositum, hodièque agitur: *Pondus* hic, de quo dixi, haud multum opulentus, coram *Wintoniensi* de Religione respondens, aiebat sexdecim millibus aureorum exutum se esse, eo quod Religionem non exuere decreuisset. Neque tamen tota causa Religio est, sed & lucrum: Nam quemadmodum hac rei familiaris direptione plurimos ab amplectenda fide remorantur, ita si quos inconstantes offenderint, pessimè eos habet; perit enim illis fons & scaturigo pecuniæ qua saginentur; nisi forte totam simul contigerit cuiuspiam substantiam deglubere. Sed eò redeundum est vnde deflexit oratio, & *Personij* Theologicis studijs absolutis, sequentes eius curæ cum *Campiani* laboribus coniungendæ, mox vt Epistolam *Pondi* recitauero, quâ intelligatur quo animo semper ille fuerit aduersus Societatem, & quibus virtutum radicibus tot annorum in persecutione patientiam sustentarit: sex igitur annis antequam de hac vita decederet, sic ille ad *Personium*

Epistola  
Pondi ad  
Personium

XXII. Magnam animo cepi voluptatem cum reddita sunt mihi literæ tuæ, tertio Ianuarij datæ, adscriptâ præsertim à Patre *Claudio* salute, mihi filiorum minimo atque indignissimo: nihil enim à plurimo tempore ad me perlatum à vobis fuerat. Ex illo vero die, ad Idus Maias, hæsi incertus quid hominum mitissimus atque humillimus superior hic meus me vellet; ab illo tandem per literas mihi factum est abundè satis: sed vt rem, vti est, loquar, vehementer me pudet tot annorum silentij, & de genu, atque ad terram ad vtriusque pedes pronus precor mihi indulgeri: Nam neque conueni superio-

rem